B. N. C.
FIRENZE
1055
4

Hist [illegible]5.4

XXVI

AJ
1055
4

IN LAUDEM ALMÆ VENETÆ REIPUBLICÆ BONA VERBA.

DICTA

A

JOH. CHRISTOPHORO WAGENSEILIO,
IN ACADEMIA ALTDORFINA
PROFESSORE.

ANNO cIↄ Iↄc xcIII.

1872



QVæ, jam diu, res juſſerat ſuas ſibi
Habere mortales, & excedens plagis,
Cœli petendo templa, terrenis, Deos,
Graviſſimis ſanctiſſimisque vocibus,
Teſtes vocarat, ac ſerena ſidera,
Non amplius ſe poſt reverſuram, malis
Offenſa factis, & nefando crimine
Hominum, fremens Aſtræa: deniq; otii
Pertæſa longi, ſic queri cœpit: Fidem,
O Summe Jupiter, tuam! quæſo, mihi
Quid nunc opus facto? Benignus aſpice,
In quem redacta ſim locum, plane occidi;
Et, ætheris velut grave ac inutile
Pondus, Deûmq; nil niſi numerus, tuum
Nectar, bonasque perdo curculio tuas
Fruges. Piget me propriæ vitæ, nihil,
Quo temporis faſtidium tollam, mihi
Conceditur. Suapte ſponte Numina
Quæ juſta ſunt, agunt; inanes hic meæ
Leges. Fori non ullus uſus mercibus
Numo parandis, ut queam contractuum
Dictare normas. Quam libens terræ incolas,
Dudum relictos, viſitarem, ſed vetant
Jurata verba, queis tenetur hoc caput.
Ah! ſi potes, precor, reſacra ocyſſime

Devo-

1055.4

Devotiones, redde me tandem ſolo,
Et, redde me mihi. Stupebat Jupiter
Totus, comaque leniter quaſſa, nimis,
Tu Nata, dixit, falleris. Non eſt meæ
Datum poteſtati, Deorum formulas
Jurationis, irritas, inutiles
Præſtare; non ullum, tuas, piaculum
Reſolvet. Hem! quod ipſe per nigræ Stygis
Fluenta, Cocytumque ſpondeo, nefas
Vnquam retro vocare, ſervanda eſt fides.
Sed commodum ſuccurrit animo, quo queam
Tuis mederi perditis rebus ſtatim
Satis ſuperque: adverte tantum Filia.
Eſt Civitas hominum, inter ipſas æquoris
Vndas profundi, quanta quanta nil niſi
Marina; ſunt mediis ſuperſtructæ domus
Aquis, plateas *rivus altus* efficit.
Tum qui colunt eam Viri, mortalium
Sunt flos leposque: Sanguis Optimatium,
Qui ſceptra geſtat, & tenet faſces, meris
Heroibus promanat ex priſcis, quibus
Gens una nobiſcum: Senatus, jus ferens,
Conſeſſus eſt Regum: VENETIAS nominant
Vrbem. Quietis hîc potes, quoad libet
Tibi, fruiſci ſedibus. Diræ tuæ,
Queis ſtringeris, palam Solum ſpectant modo,
At neutiquam Salum. Loqui Deûm Pater
Vix deſtitit, cum mox moras nullas agens
Aſtræa læta, argenteas alas ſuas
Induta, ventis omnibus citatior,
Ruens deorſum, non volans, delabitur
Venetum in forum. Hîc erecta conſiſtens, ait,

Salve-

Salvete PATRES, Plebsque ſalve, admittite
Promti, volentes, Numen Aſtrææ, date
Jus civitatis, medico, do, conſecro
Vobis. Sequutus clamor eſt plaudentium
Et gratulantium, manus ori admovent
Cuncti, Deæque victimas cædunt, domum
Dant Curiam; brevique per totum fuit
Orbem relatum, quod penes Venetos agat
Aſtræa. Sic miſere gentes ultimæ,
Et, Noribergenſes mei, cum cæteris,
Leges petitum, queis carebant, & ſacri
Reſponſa Juris. Sola vox mortalium
Audita tum, quæ in hanc diem paſſim ſonat:

Vrbs Alma, macte Cive perpetim tua!
Aſtræa, macte Civitate tu tua!

1055:4
Z
957886

155,4